CLEMENS PP. XIV.

Venerabilis Frater, seu Dilecte Fili Salutem, et Apostolicam Benedictionem. Exponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Communitas et Homines Oppidi Civit. nuncupat. Hadzieiovo istius Diœcesis
Uladislavien. quod scrupuli continuo eos torquent ob publicam famam dudum latæ excommunicationis sententiæ ab Apostolica hac Sta Sede super Oppidum Civit. nunc. prædictal. Licet vero Exponentes
pti diligens examen adhibuerint, nihilominus minime invenire certo potuerunt causam, propter quam sententia excommunicationis adversus dictum Oppidum, seu Civitatem lata fuerit; solo tamen rumore,
et traditione ab immemorabili tempore non interrupta, ita perturbatur fama, et conscientia eorumdem Exponentium, ut Populus præsertim rudis traditioni huic adscribat omnia infortunia, et infe-
licitates, quæ eidem Oppido, seu Civitati sæpe numero superveniunt: Hinc dicti Exponentes Benedictionem sibi, et, quatenus opus sit, absolutionem pro majori conscientiarum suarum quiete, et securitate
per Nos impertiri plurimum desiderant; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur
ipsos Exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclicis sententiis, censuris, et pœnis a
jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes
hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ Frater Episcope, seu Discretioni Tuæ Fili Officialis per præsentes committimus, et mandamus, ut indictis eidem Communitati, et Hominibus prædictis tri-
duano generali jejunio, et facta aliqua Processione arbitrio tuo indicenda, et injuncta eis, et cuilibet ipsorum pœnitentia salutari, eorum quemlibet, qui id humiliter petierit, tam pro se, quam pro suis de-
functis a quibusvis Excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclicis censuris et pœnis, a quibus occasione præmissorum innodati remanent, auctoritate apostolica in utroque foro absolvas, et
totaliter liberes, seu per idoneos Sacerdotes absolvi, et totaliter liberari mandes, illasque eis gratiose remittas, et condones; necnon omnem inhabilitatem, et infamiæ maculam, sive notam ex iisdem præ-
missis quomodolibet insurgentem ab eis penitus aboleas, ac ipsos in pristinum, et eum, in quo ante præmissa erant statum quoad omnia restituas, reponas, et plenarie reintegres. Non obstanti-
bus Constitutionibus, et Ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Stam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXVIII. Martii MDCCLXXIV.
Pontus Nostri Anno Quinto

Card. Negroni

Ven[li] Fratri Episcopo Uladislavien, seu Di-
lecto Filio ejus Officiali

Antonius Casimirus de Ostrow Ostrowski Dei et Apostolica Sedis Gratia Episcopus Vladislaviensis et Pomeraniæ.

Universis et singulis quorum interest, aut quomodolibet interesse poterit, præsertim vero Religioso et Rndo in Christo Patri Ordinis S. Francisci Conventualium Conventus Radziejoviensis Guardiano significamus, et ad notitiam indubitatam deducimus præsentatas nobis fuisse et esse introcontentas Literas Apostolicas sub Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Die 28 Mensis Martii Anni præsenti ad [illegible] tiam Communitatis Civitatis Radziejoviensis Diæcesis Nostræ in ordine obtinendæ Absolutionis à quibusvis poenis et Censuris Ecclesiasticis, in Forma Brevis expeditas sanas, salvas, nec in ulla [illegible] parte læsas nullique suspicioni obnoxias; proinde quatenus executioni demandari queant, Populusque loci illius DEI Omnipotentis Gratiam consequi valeat, et à dictis poenis Censurisque, si quibus forsan innodatus liberari [illegible] tatem potestatemque damus et concedimus, requirentes supra præfatum dicti Conventus Guardianum, Quem in Executorem præsentium delegamus, eligimusque specialiter ut receptis hisce Literis Populo ad Divina audienda congregato intro contentum Breve Apostolicum publicet, intimetque, Valvisque Ecclesiæ affigat, ac tandem ad tenorem Ejusdem devotionem instituat, et indicto eidem Communitati triduano Jejunio à die Decima Mensis Octobris Anni præsentis inclusivè incipiendo, Die 13 Ejusdem publicam Processionem cum Cruce ad Ecclesiam Parochialem ejusdem loci faciat, decantando quoque Psalmos et Orationes approbatas Ecclesiæ Pænitentiæ conformes arbitrio suo selectas, Missæ Sacrificium cum Concione in sua Ecclesia celebret, vel celebrare faciat. cunctis denique per se, seu designatos sibi bene visos Presbyteros, quibusvis hominibus dictæ Communitatis utriusque sexus injuncta eis, et cuilibet ipsorum Poenitentia salutari, quemlibet illorum, qui id humiliter petierit, tam pro se, quam pro suis Defunctis, à quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Censuris et poenis, si quibus innodati remanent, Authoritate Apostolica in utroque Foro absolvat, nec non omnem inhabilitatem, et infamiæ maculam ab Eis penitus aboleat, ac ipsos in pristinum statum restituat. In quorum fidem etc. Datum Varsaviæ 20. Mensis Septembris A. 1774.

Antonius Eppus